D. D. LAURENTII MATTHÆU ET SANZ,

TRACTATUS

DE RE CRIMINALI.

D. D. LAURENTII

MATTHÆU ET SANZ,

JURISCONSULTI VALENTINI,

De Consilio Regiæ atque Catholicæ Majestatis; olim in Valentina Regia Audientia Fiscalis, Præfecti & Senatoris, deinde in Aula Suprema Criminum Regiæ Domus & Curiæ, Præfecti ac Præsidis, & in Senatu Novi Orbis., Consiliarii Togati; demum in Sacro Supremo ac Regio Aragonum Consilio, Regentis Cancellariam; inclytæ Militiæ B. Mariæ de Montesa, & S. Georgii de Alfama, purpurea tessera insigniti,

TRACTATUS

DE RE CRIMINALI,

SIVE CONTROVERSIARUM

Usufrequentium in Causis Criminalibus, cum earum decisionibus, tam in Aula Suprema Hispana Criminum, quàm in summo Senatu Novi Orbis.

EDITIO NOVISSIMA, PRIORIBUS EMENDATIOR, cum triplici Indice Controversiarum, Jurium, ac Rerum locupletissimo.

MATRITI. M.DCC.LXXVI.

Apud D. Antonium de Sancha, Typógraphum, & Bibliopólam.

SUPERIORUM PERMISSU.

Súmptibus Régiæ Societátis Typographôrum Bibliopolarúmque.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

LEGENTI.

CURIÆ Hispanæ crimina, & pœnas explanaturo, obstat in limine sententia Poëtæ dicentis:

Curia jus servat, meretrix est Curia dicta.

Si enim Curia est ædes almæ justitiæ, regula infallibilis recti, juris inerrabilis norma, ut ipse fatetur: quomodo meretrix dicta? quare prostitutionis simulacrum? qua de causa iniquitatis, & turpitudinis ara? Procedetne hujus attributi licentia ex pulchritudine & forma? Owen. *lib.* 2. *epigr.* 124.

O utinam vel bella minus, bona vel magis esses!
Turpius est pulchra, nam meretrice, nihil.

Minimè, quia bonitas hoc in carmine excluditur, & aliud eam supponit dum jus servari à Curia profitetur. Sed ut dicenda faciliùs percipiantur, suppono quòd *Curia* nomen diversimodè sumi solet. (1) In primis *Curia* appellatæ fuerunt triginta illæ partes in quas divisit Romulus tribus Populi Romani, ut meminit Pomponius. (2) His nomina specialia, sive speciosa dedere Sabinæ nobiliores pulchrioresve, à Quiritibus raptæ, (3) ut injuria præcedens abolita remaneret. Præterea dictus fuit *Curia* locus ubi Senatus Romanorum coibat, in æde Concordiæ, ut innuit Paulus, (4) quem sequuti fuere Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, (5) necnon Tullius. (6) Denùm *Curia* dicebatur locus ubi decuriones ad curandum de Municipiis congregabantur; eò quòd ad similitudinem Senatus Romani, ii parvuli Senatus municipales creati dicuntur: de quo mentionem fecerat Ulpianus cum prælibatis Imperatoribus, & aliis. (7)

(1) Carol. Sigon. l. 1. *de jur. antiq. Civ. Rom.* c. 3. D. Covarr. *pr.* c. 4. n. 10. Calist. Ramir. *de leg. Reg.* §. 10. *in princ.*
(2) In *l.* 2. §. 2. *ff. de orig. jur.*
(3) Tit. Liv. *histor. Rom. lib.* 1. *decad.* 1. Sext. Aurel. Vict. *de vir. illustr. Rom.* c. 2.
(4) In *l. si quis aliud* §. *judicis. ff. de pæn.*
(5) In *l.* 1. C. *Theod. de Curial.*
(6) *Lib.* 5. *de Orat.*
(7) In *l.* 3. *ff. quod cujusque universit. nomine.* [illegible] 56. C. *de decurion. lib.* 10. *l.* [illegible] 121. C. Theod. eod. tit. & ibi Arroyo & Jacob. Gotofr. ubi latius Longleus, *comment. lib.* 13. [illegible]

At nullam ex his significationibus ad rem nostram conducere apparet ex eò quòd *Curia* de qua loquimur, Hispanè *Corte*, capienda sit, pro urbe vel oppido ubi Rex cum Senatoribus, Consiliariis, Optimatibus; & cæteris ei adsidentibus adest, ut jura nostra clarissimè tradunt. (8) Quo in sensu Curia jus servare est necesse, quia Rex Dei Vicarius, *l.* 5. *tit.* 1. *part.* 2. ubi Gregor. Lopez, & ejus Administri, ad Justitiæ administrationem destinati, eam componunt. Comprehenditur etiam sub nomine Curiæ, (9) *Regum assectatorum turba*; in qua inter bonos plures iniqui concurrunt qui vitiorum fomites, prævaricationem sæpissimè operantur & quo ad hanc partem, intelligendum putarim dictum Poëticum, quatenus dicit quòd Curia meretrix dicta est. Eumque desumere potuit ex sacris Scripturis; (10) in quibus de Hierosolyma, Curia Regum Juda, hæc verba habentur: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena judicii? justitia habitavit in ea; nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua &c.* Prosequitur sacer Vates eam urbem tempore prævaricationis depingendo eis coloribus, ut cuicumque ex Aulis supremorum Principum congruere descriptio valeat. De Athenis plura ad rem Sigonius. (11) De aliis plures apud Solorzanum. (12) De Romana Tacitus (13) dicens: *Suspecto Senatus populique imperio, ob certamina potentium, & avaritiam Magistratuum, invalidum legum auxilium, quæ vi, ambitu, postremò pecunia turbabatur.* Et quamvis nostræ Curiæ plura ex his desint, quia integerrimi viri assidua cura invigilant, in compescendis criminibus, & legum auctoritate conservanda, nihilominus nequitias, violentias, cædes, rapinas ac plures alias immanitates quotidie lugemus. Neque hoc novum est; nam sapientissimus Rex Alphonsus suis temporibus jam id ipsum expertus fuerat, dum in suis legibus (14) *Curiam* mari comparat, tanquam fluctibus expositam, Piratis patentem, & immanissimis belluis plenam, de quo aliqua attinguntur inferius. (15)

(8) *L.* 27. *in princ. tit.* 9. *part.* 2. ibi Gregor. Lop. D. Covar. *de c.* 4. *n.* [illegible] Castill. *Rom.* [illegible] Hier. Blancas, *in comment. rer. Aragon. pag.* 420.
(9) Blancas, ubi proxime.
(10) *Is.* c. 1. v. 21.
(11) Lib. 1. *de republ. Athen.* c. 5. & Solorzan. *emblem.* 57. *n.* 14
(12) Emblem. [illegible]
(13) *Lib.* 1. *Annal.*

Ex his licet regularis Curiæ denominatio, à (16) *Cura* desumatur; potior ad rem est etymologia nominis Hispani *Corte*, à verbo *Cortar*, Latinè *secare*: ita ut percipiatur ab ipso nomine, quòd in Curia secantur malefacta gladio justitiæ; sic mirabiliter explicat lex Hispana dum ait: (17) *Es dicha Corte segun lenguage de España, por que allí es la espada de la Justicia con que se han de cortar todos los malos fechos.* Hac de causa cum crimina frequentiora in Curia patrata explicare tracto cum pœnis quibus coerceri solent, in limine voluminis utor imagine, vel symbolo, quo delineatur frons ipsius Aulæ Regiæ quæ carcerem Curiæ comprehendit; in qua Præfecti Regiæ Domus & Curiæ jus dicunt, sontes in compedibus detinet, quæstioni subjiciunt, ac debitis punitionibus coercent. Hoc enim opus pulcherrimum artificiosa majestate adornatur; specioso frontispicio insignitur marmoreis crustis, statuis, columnis atque epystiliis. Distinguit eleganter tres portas per quas patet ingressus ad intima. Dextram namque litigatoribus ad civilia judicia aditum offert. Leva Apparitoribus carceratos ducentibus, vel ad judicium, vel ad pœnam, transitum ministrat. Media verò Judicibus destinatur, ut tripartito officio patens omnibus se exhibeat. Duo

(14) *L.* 28. *titul.* 9. *part.* 2.
(15) *Contrapunto.* [illegible]
(16) Manutius. *l. de* [illegible] *cap.* 51. Sigon. *d. lib.* 1. *de jur. ant. Rom. tit.* 5. Petr. Greg. *lib.* 5. *syntag. cap.* 18. *num.* 3. & Anton. Faber, *in ration. ad d. l.* 2. §. *ff. de orig. jur.*
(17) *d. l.* 27. *tit.* 9. *part.* 2.

mem-

PARS PRIMA DE RE CRIMINALI,

SIVE

CONTROVERSIÆ FORENSES DE CRIMINIBUS

usu frequenter patratis.

CONTROVERSIA I.

De Suprema Aula Senatus Hispani, cui cura persequendorum criminum commissa est, Præfectisque Regiæ Domus, & Curiæ, eorumque potestate, atque jurisdictione.

SUMMARIUM.

1 Alcaldes de Casa, y Corte, *nomen Hispanicum.*
2 Alcaldes, *nomen ab Arabibus mutuatum.*
3 Alcaldes, *Latinè* Prætor *appellari solet.*
4 *Prætoris nomen quod officium tempore Romanorum significabat?*
5 *Prætor primus inter Romanos, Urbanus erat.*
6 *Judices causarum criminalium in Curia Hispana, tempore Regum Gothorum inter Proceres numerabantur.*
8 Tiuphadi *qui essent tempore Gothorum?*
7 Tiuphadi *an dignitatem politicam, vel militarem obtinuissent?*
9 Tiuphadi *jurisdictionem contentiosam in Curia, tam causarum civilium, quàm criminalium obtinebant.*
10 *Præfecti Regiæ Domus, & Curiæ de omnibus causis bellicis jurisdictionem contentiosam desiderantibus jus olim dicebant.*
11 *Judices Curiæ, qui sint ab antiquo?*
12 *Judices Curiæ, postquam Hispania à Mahometana calamitate vindicata est,* Alcaldes *nuncupantur, sumpto vocabulo ab Arabibus.*
13 *Præfecti Regiæ Domus, & Curiæ* Alcaldes del Rey *appellantur in nostro Hispano jure,* & *num.* 14.
15 Sobre-Juez, ò Adelantado de Corte, *quam dignitatem obtinebat?*
16 *Huic Magistratui successit Consilium, quoad jurisdictionem, Præses illius quoad repræsentationem muneris.*
17 *Consilii Primordia, atque recentior institutio.*
18 *Consilium à tempore Gothorum usque ad Ferdinandum II. cognomento Sanctum, quale fuisse?*
19 *Consilium an jurisdictionem contentiosam exerceret à tempore Ferdinandi II. incertum, licet Pater Mariana alia referat.*
20 *Consilii expressa mentio in legibus Partitarum, sed absque mentione jurisdictionis contentiosæ.*
21 *Consiliariorum eligendorum curam Alphonsus XI. expressit in Comitiis habitis Matriti anno* 1329.
22 *Consiliariorum numerum ad* 10. *reduxit Henricus II. Comitiis Burgicis anni* 1368.
23 *Cancellariarum institutor Rex Joannes I. de jurisdictione contentiosa Consilii clarissimè tractavit.*
24 *Ærarum computatio dissonat ab annis Christi, & quomodo?*
25 *Consilio ultima forma data per Reges Catholicos, sed perfecta per Leges novæ Recopilationis.*
26 *Consilio quando fuit concessa jurisdictio ad causas secundæ supplicationis, & tenutæ?*
27 *Præfectorum Regiæ Domus, & Curiæ officium quale juxta leges Ordin. & eorum numerus.*
28 *Præfectorum, seu potius Aulæ jurisdictio in criminalibus.*
29 *Sententiæ Aulæ, appellationem concessam non habent.*
30 *Præfectorum jurisdictio in civilibus, & Provinciæ tribunal quid?*
31 *Appellationes in civilibus, ad quos deferantur, tam majoris quàm minoris summæ?*
32 *Præfectorum sententiæ in causis civilibus rei judicatæ vim habent in minoris summæ causis.*
33 *Aula criminalis est quinta Aula Consilii.*
34 *Aulæ Consilii quot, & quæ?*
35 *Rem judicatam facere ad supremam jurisdictionem pertinet.*
36 *Præfectorum numero deficiente, eorum loco ex Consilio desumuntur.*
37 *Præfecti Curiæ Consiliariis æquiparantur.*
38 *Consiliarii visitantes carcerem non judicant soli, sed simul cum Præfectis.*
39 *Pœna imposita in offendentes Regios Consiliarios, est pariter imposita in offendentes Præfectos Curiæ.*
40 *Præfecti Curiæ sunt Vicarii Regis.*
41 *Vicarii Principis dignitas.*
42 *Offendens Consiliarios & Præfectos, crimen læsæ, in secundo capite, dicitur committere, majestatis.*
43 *Præfecti Curiæ judicant nomine Regis, & sub eo expediuntur provisiones, & cætera Aulæ rescripta.*